

cundum voluptatis, tertium ebrietatis. Apuleius vero dicere solebat: Primum ad sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam pertinere. Suidas tres haustus permittit sapienti, scilicet valetudinis, voluptatis, et somni. lb. §. r.

Panthera hieroglyphice ebrietatem designat, quia vini admodum avida cum sit, a venatoribus, fontibus, ex quibus illa bibere consuevit, vino fortissimo repletis, capitur. VALER. l. XI p. 103.

Anonymus quidam Lacon, cum audisset quosdam cogi in cœna ad bibendum, num etiam ad edendum cogentur, quæsit, in- sinuans: Sicut absurdissimum est, cogi alique ad certam ciborum quantitatem; ita non minus absurdum esse, aliquem ad certum poculorum numerum compelli. PLUTARCH. in Lacon.

Cum a Rege Ferdinando ludi celebrarentur, ab omnibus aliis insigniter laudati, Germanus quidam exclamans dixit: Valeant ludi in quibus nemo bibit. PONTAN. in *Attic. bell.*

Fuit, qui Organi in morem fistulas vitreas ordine dispositas habebat, quæ singulæ singulos sonos percussæ reddebant, ut, utiliter, re, realiter, mi, mirabiliter, fa, facilliter, sol, solemmiter, la, laerymabiliter, ut præ dulcedine lacrymæ fundantur. ENGELG. l. c.

Alphonsus Magnus dicere solebat, amicitiam tribus servari, pileo, id est, perhumaniter salutando, folio chartæ, id est, litteras scribendo, vitro, haustum bonum propinando. Ibid. §. 4.

Androcles ad Alexandrum M. scribens, intemperantia ejus cohibitorus: Vinum, inquit, potaturus, Rex, memento te sanguinem terræ bibere. PLIN. l. XIV, xv, 5.

Leotychidas rogatus, cur Spartiate parum bibant? respondit: Ne pro nobis contenti alii, sed pro aliis nos. PLUTARCH. in Lacon.

FGA. — Pythagoras, in ebrios olim incidens, jussit tibiicem convivio luxurioso præsidens mutare harmoniam, ac doricon illis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxit, qui, ejectis de capite coronis, omnes erubuerunt. ENGELG. p. 2, *Celi Emp. in fest. S. Cæc.*

DAMNUM. — Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythiis, cum dein frigidam aquam bibisset: Dii boni, inquit, quam brevis voluptatis causa quantum deposui felicitatem! ERASMUS ROTEROD. in *Simil.*

Cum olim milites aliquot Tarentini inter cœnandum multa liberius in Pyrrhum Regem dixissent, ideoque ad Regem acetii essent, unus illorum ad Regem dixit: Fatemur nos hæc dixisse, et acerbiora longe dicturi eramus, nisi lagena nobis defecisset; quo dicto Regis iram in risum vertit. Idem, *Apoph.* l. VI.

Recte cecinit Ovidius:

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Ista pudore vacat, liber, amorque meta.

OVID. l. I, *Amor eleg.*

Recte item Virgilius ebrietatis effectus descripsit sequentibus versibus:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Uno namque modo vina, Venusque noceat.
Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Multos cœcus amor cogit secreta fateri.
Arcanum demans detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale cupidio.
Serpentanus titidem Bacchus ad arma vocat.
Denique cum mentes hominum furiant uterque,
Et pador, et probitas, et metus omnis abest.
Compeditus Venerem, vinculis adstringe Lyæum,
Ne te minoribus lædat uterque suis.
Vina sitim sodant, natis Venus alma creandis;
Sed fines horum transiitisse noceat.

VIRGIL. de *Vino et Venere.*

Sed et Propertius non male eundem in finem cecinit:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.
PROPERT. l. II, *Eleg. ult.*

Ovidius quoque iterum:

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit multo, diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper coram sumit,
Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abit,
Tunc aperit mentes vivo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

OVID. l. III, de *Art. am.*

Diogenes quondam præteriens domum violenti prostitutam dixit: Sciebam, domum istam vino ebriam dominum evomituram; ea jam ructat. BAUSON. l. III, c. XIII.

Si furibus in domum ingressis quispiam daret claves omnium cistarum, unde maxima illi damna inferrentur, quis non videtur illi indignaretur? Atqui hoc totum ebrietas facit, vitii claves offerens, quibus hominem expolient. FAB. c. III, in *Dom. vi. post Pent.*

De cerevisia ebrietatem procurante non illepe cecinit Poeta:

Unde suum ducat, quæris, cerevisia nomen?
Quod cerebrum visat sæpe, Sabelle, tuum,

APUD ENGELG. in *Dom. ii. post Epiph.*

De vini effectibus recte iterum cecinit Poeta:

Tu lene tormentum ingenio admoves,
Plerumque duro. Tu sapientium
Caras, et arcana jocoso
Consilium detegis Lyæo.

HORAT. *Od. XXI, l. III.*

Plato dicere solebat, nullum tormenti genus minus sumptuosum, minusque noxium et periculosum esse, quam vinum ad explorandos hominum affectus et mores. PLATO l. II de *Legib.*

Scito symbolo veteres picam Baccho sacram fecerunt, quia sicut pica garrula, quidquid audierit, narrat; ita et ebriosi. NATAL. *Comes Mytholog. l. XV.*

S. Chrysostomus ebrietatem vocat morbum veniam non habentem, ruinae executione carentem, commune generis nostri opprobrium. S. CHRYS. hom. ad *Pop. Antioch.*

ADAGIA.

Anima sicca sapientissima.

Qui multum bibit, parum sapit.

Quoties quis ebrius, toties puer est.

Si noceat vini potatio vespertina.
Hanc mane repetas iterum, et fiet medicina.
Multum temetum fit acerbum in corpore acetum.
Vinum dumque premit, mens cruciata gomit.

FLORILEG. p. 1. f. 778.

Non inepte quidam dixit: Plures poculis occumbere, quam spiculis; lanceibus, quam lanceis, quibus cœna pœna, pulpa culpa, spicula pocula, vagina lagena, prælia prandia, stratagemata fragemata.

Bacchus et argentum mutant mores sapientum.

Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.

Bis sex, creditis, species sunt ebrietatis:
Ebrius est primus sapiens, est alter optimus,
Ternus grande vorat, quartus sua crimina plorat,
Quintus luxuriat, sextusque per omnia jurat,
Septimus ascendit, bisquartus singula vendit,
Nonus nil colat, quod habet sub corde revelat,
Somnia dens amat, undecus turpia clamat,
Et cum sit plenus, vomitum faciet duodecus.

BUCHLERUS V. *Ebrius.*

Quo tibi potarum plus est in ventre salutum;
Hoc minus e potis hisce salutis habes.

AUCTORES.

Joannes Bæsus, in Panario V. eodem.

Georgius Gobat, in Acusatione Canonice.

Josephus Langius, X. eodem.

Philippus d'Outremanin, Pæd. Christ. p. 4, c. VII, §. 6.

Ludovicus Granatensis, in Silva locorum comm. f. 334.

Joannes Dadræus, in Locis simil. V. eod.

Hieremias Drexelius, in Tobia, p. 2. c. IV et in Josepho, c. XIV.

Jacobus Marchantius, in Tuba, Sacerd. tr. V, lect. v. et sequent.

Henricus Engelgr. in Cœl. Emp. p. 1. Festo Pentec. § 2 et seq. Item. p. 4, Luc. Evang. in Dom. 2. post. Epiph.

Mathias Faber, in Dom. 2. post Epiph. conc. 5 et 6. Item, conc. 3 et 4. in Dom. 6. post Pent. Item, in Auctario. them. 5. in Dom. 4. Quadrag.

Petrus Canisius, in tom. ult. de Vitiis capitalibus.

Georginus Scherer, conc. 4. in Domin. Quinquages.

Josephus Mansi, in Bibl. Moral. tract. 31.

EDUCATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est sollicitudo de iis hominibus, qui curæ nostræ commissi sunt, sive alendis (quo nomine cura etiam valetudinis, vestitus, et habitationis intelliguntur) sive bonis moribus et disciplinis imbuedis; in his enim officiis tota Educationis ratio consistit.

DIVISIO. — Dividitur in corporalem et spirituales; prior est, quæ ad corpus alendum et perficiendum ordinatur; posterior est, quæ circa animum instituendum occupatur.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Filii tibi sunt, erudi illos, et cura illos a juventute sua. ECCL. VII, 23.

Qui diligit filium, assidat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, et non palpet proximorum ostia. ECCL. XXX, 1.

Qui parit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit illum. *PROV. XIII. 24.*

Quis filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis. *HEB. XII. 7.*

Lacta filium, et paventem te faciet; lude cum eo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui, et ne despicias cogitatus illius. *ECCL. XXX. 9.*

Erudi filium, et refrigerabit te, et dabit læticias animæ tuæ. *PROV. XXIX. 17.*

Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. *AD TIM. V. 8.*

Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. *EPH. VI. 4.*

Ne jœuenderis in filiis impiis, si multiplicentur; ne oblecteris super illos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores illorum; melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impij; et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. Ab uno sensato inhabitabitur patria, a tribus impiorum deseretur. *ECCL. XVI. 1.*

Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidat de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos. *DEUT. IV. 9.*

Educat illos in disciplina et correptione Domini. *S. PAULUS ad Eph. c. VI. 4.*

Venite, filij, audite me, timore Domini docebo vos. *PS. XXXIII. 12.*

In filiis suis agnoscitur vir. *ECCL. c. XI. 30.*

Nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. *AD COLOSS. c. III. 21.*

NECESSITAS. — Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. *ECCL. XXX. 13.*

Confusio patris est de filio indisciplinato. *ECCL. XXII. 3.*

Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. *PROV. XXIX. 15.*

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. *PROV. XXII. 9.*

Æquus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps. *ECCL. XXX. 8.*

Egestas et ignominia ei, qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit, gloriabitur. *PROV. XIII.*

Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est, et vacua spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum. *SAPIENT. I.*

UTILITAS. — Via vitæ custodiendi disciplinam. *PROV. X.*

Qui docet filium suum, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur. *ECCL. XXX. 2.*

Virga atque correptio tribuit sapientiam; puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. *PROV. XXIX. 15.*

Tene disciplinam, nec dimittas eam. Custodi illam, quia illa est vita tua. *PROV. IV.*

Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corripieris. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi in Filio complacet sibi. *PROV. III.*

Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur; tu percutes eum, et animam ejus de inferno liberabis. *PROV. XXIV. 13.*

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. *TITUS. c. III. 27.*

Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. *PROV. XXII. 5.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Magnum depositum habent parentes, filios, si ingenti illos servent cura, atque omnia faciamus, ne fur sit, qui nobis astutus id auferat. Nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque viro fideli magno cum studio tradimus; cæterum quod nobis omnium carissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro committamus. Et certe nullus fundus, nulla possessio æque nobis charus ac gratus esse debet, quippe hæc omnia filij queruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum ille gratia comparantur, quod profecto absurdissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quaeramus. Nam siquidem improbi illi fuerint, nihil eis pecunie poterunt; sin autem probi, nihil eis paupertate læduntur. *S. CARYS. hom. IX. ad Heb.*

Si magno fenore argentum tibi esset collocatum in homine grato, nec impotenti, scio hujus te male litteras liberis relinquere.

ut ingentes inde capiant fructus, quam pecuniam, ne cogentur alios querere, ubi tuto queant collocare. Da igitur filiis tuis has litteras, Deum sibi debitorem relinque; hoc chirographum, quod majores omnibus prædis fructus reddere solet, relinquere filiis recusas; magna certe id est dementia, præsertim cum sejas, quia, quamvis hoc filiis relictum sit chirographum, tamen et ipse abiens hinc tecum portas. Talia quippe sunt spiritualia, ut multis multiplicata satisficiant. *Idem, hom. LXXVII.*

Unusquisque paterfamilias hoc non ignoret, paternum affectum suæ familie se debere pro Christo et vita æterna; omnes moneat, doceat, corripiat; impendat benevolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua Ecclesiasticum, et quodammodo temporale officium impleat ministrans Christo, ut sit æternum cum eo. *S. AUG. hom. I. sup. Joan.*

Disciplina in duo dividitur, in correctionem et instructionem, quorum primum timore, secundum amore perficitur. *Idem. I. de Moribus Ecclesie.*

Ab omnibus libenter discere, quod nescis, quia humilitas tibi commune facere potest, quod natura facit commune. *S. AUG. in epist.*

Adolescentia tamquam subacta et mollis cera est, quæ ipsa impressas in se formas quæcumque facile recipit, et mollissime cedit; confestim igitur ab ipso initio, omnium rerum bonarum imbui exercitatione debent. *S. BASIL. in Reg. fus. interpr. XV.*

Cupitis pueros optimis ornari moribus? Necessè est, ut cum severitate disciplinæ, paternæ pietatis et mansuetudinis levamen eis impendatis. *S. ANSEL. apud Surium, in Vita.*

Qui curam educationis negligunt, iis similes sunt, qui, cum male materiata et ruinosa videant domum, ipsam quidem instaurare negligunt, amplius autem ei in circuitu hortos disponunt. Aut illis, qui, quamvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes contextunt. *S. CARYS. hom. IX. in Matth.*

Per vinum medeantur vulnera, per oleum foveantur; miscenda est lenitas cum severitate; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plus, quam expediat. *S. GREG. p. 2. Poss. c. XI.*

Debent filii parentes timere, quod ut efficere possint, pater diligentia sollicita obser-

vabit, ne dissoluta lætitia ex inordinato affectu conversetur cum illis, cum jam grandiusculi sunt, sed reverenda maturitate et timoroso amore, ac gravitate discreta et exemplarij semper sit ante eos. Insolentes enim solent fieri filii ex nimia lætitia et lenitate parentum, perduntque erga eos reverentiam et timorem. *S. BEN. in ser. IV. post Dom. II. Quadrag. ar. 2.*

Exerceamus ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quaeramus. *S. CARYSOST. hom. IX. tom. 2.*

Filii non rite instituti et educati, præstat pauperes esse, quam divites, paupertas enim vel invitos coerces, atque intra virtutis limites continet; opes vero ne volentes quidem pudice temperanterque vivere sinunt, verum exorbitate faciunt, atque pervertunt, malique innumeris subigunt. *Idem, ibidem.*

Nulla ratione fieri potest, ut qui ab ipsis initiis, magna cum diligentia summoque studio fuerit educatus, malus evadat; neque enim naturalia sunt peccata, ut tantam curam tantamque diligentiam superare prevaleant. *Idem, in Epist. ad Tit.*

NECESSITAS. — Patres, qui filiorum moderationem et temperantiam negligunt, liberorum sunt interfectores, atque ideo illis crudeliores, quod ad interitum et mortem animæ hæc res tendat. *S. CARYS. t. VI. h. XXVII.*

Magnam habemus pretiosumque depositum, filios; ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At vero nunc contra penitus facimus; nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro, magno cum studio, tradimus. Cæterum quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus. Certe nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus atque charus esse debet, quippe hæc omnia filij queruntur. Igitur major nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum illæ gratia comparantur, quod profecto absurdissimum, atque stolidissimum est. *Idem, hom. VI. in I ad Tim.*

Die, queso, charissime, si filium fame confectum videres, an eum posses contemnere? Ergone panis fame divexatum non despicias, divine autem doctrine fame pereuntem potes contemnere? Quo pacto dignus fueris, ut pater voceris? Siquidem multo gravior illa hæc est fame quanto funestior in

mortem desinit; unde magis in hoc studium conferendum est. Idem t. V. § 63.

Sicut uberrimum ab optima educatione præmium paterfamilias capiet, quicumque liberos, familiarumque suam ad Dei cultum, et ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam erudierit; ita, quicumque debitu hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is expectet, ut in die Domini sibi durissimum iudicium fiat. ACTA MEDIOL. S. Caroli Borr. fol. 103.

Nulla alia ratione perversi ut sint filii, contingit, nisi quod eorum parentes circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, et fere dixerim, insaniant. Cum enim ista solummodo inquirent, nihilque illis preferendum censent, et suam pariter, et liberorum animam negligere coguntur. S. CHRYS. III. *advers. Vitup. monast. vit.*

Difficiliter eradicatur, quod rudes animi perhiberunt. Lanarum conchyliis quis in pristinum nitorem revocet? Recens testa diu et sapore retinet, et odorem, quo imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, et in moribus, et in incesso, Leonidis pedagogi sui non potuisse carere vitiiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus. S. HIER. *in ep. ad Latam.*

Valde perniciosa sentiet filius patris lenitatem, ut postea juste sentiat Dei severitatem. S. AUG. in Ps. 50.

Omnia, quæ deliquerint filii, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos; hi enim filiorum animos inextinguibili igni in interitum tradunt, et semetipsos in furorem iudicii demergunt. ORIGEN I. II. *in Job.*

Hos ergo patres (correctionem negligentes) quod nemo tamen me commotus dicere, quam verius existimet, parricidis ipsis immaniores, sceleratiorumque dixerim; illi enim corpus ab anima dissepant, isti et animam et corpus ignibus æternis tradunt. Atque is, qui corpore occiditur, necessario naturali lege, etiam si necatus non fuisset, moretur; hic vero sempernam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi conscivisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superveniens protinus resurrectionis gloria delere poterit facillime; animæ vero interitum nihil salvare poterit, cum sibi jam nulla reliqua sit salutis spes, verum immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non injuria parentes ejusmodi deteriores parricidis diximus. S. CHRYS. I. III. *adv. Vitup. vit. monast.*

UTILITAS.—O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non et mentis habitum disciplina cervicem submittit, ponit supercilia; componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incesum. S. BEAN. ep. cxiii. 3.

Nulla est amplior hæreditas, nec præclarior patrimonium, quod parentes suis liberis reliquere; neque majus pretium, honestiorumque mercedem domini iis, qui sibi in servitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere ac persolvere possunt, quam si effecerint, ut boni Christiani evadant, quæ virtus omni terreno thesauro multo pretiosior est censenda. ACTA MEDIOL. S. Caroli Borr. fol. 288.

Vis filium relinquere divitem? Bonum illum ac benignum esse doce; ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit. S. CHRYS. *loc. cit.*

Præveniamus annos juventutis correctione congrua; quia melius est dicere: « Deus, qui docuisti me a juventute mea, » quam deileamus dicentes: « Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris; » hoc enim debilitatis est remedium, illud vero salutis robur; medicina quaeritur vulneri, gratia vero convenit sanitati. S. AMBR. § 2, *in Ps. 118.*

Instituere puerum juxta bivium viæ suæ; perpende hujus præcepti maximam utilitatem. Pueris quidem, ubi rationis lux mentem ipsorum irradiare cepit, duplex statim illis via sese offert, alia quidem lata per planities incedens; alia vero angusta, per incompta et difficilia pergens; illa vitiiis, hæc virtutibus; illa allicit, ista deterret. Ne ergo puer in ea ætate ac morum facilitate latam illam, jucundamque vitiiis semitam natura suadente, quæ suapte nutu ad malum pendet, sequatur, magistro atque præceptore tunc maxime indiget. Rursum eo tempore, cum neutram expertus est, facile in eam inferri se sinit, quæ melior est; nam si forte vitiorum viam semel arripuit, cum retro averti, et confectum spatium remeiri opus sit, difficile additum adduci potest, ut reduceas ad virtutem passus regat. SALAZAR. in c. xxii. *Prob.*

Matres, filiarum curam vobis assumite, est ea cura vobis perfacilis. Ante omnia piæ esse religiosasque doceat, asperrimi pecunias exteriorisque ornatus contemp-

trices esse; eas si ita institueritis non ipsas modo servabit, sed etiam filios atque nepotes earum. CHRYS. *in Epist. ad Tit.*

DIGNITAS.—Nec consideramus, nullam artem hoc artificio sublimiorem inveniri. Quid enim majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum mores fingere, Omni certe pictore ac statuario, cæterisque ejusmodi excellentiorem eum dico, qui juvenum mores fingere non ignoret. S. CHRYS. hom. lx, *in Matth.*

ÆQUITAS.—Desiderant illos (parentes suos filios) valere in sæculo isto, et non curant, quid passuri sint in alio. Alii militias filiis suis provident; alii honores, et nemo filiis suis providet Deum; perditionem illorum cum magno pretio comparant, et salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur, et suspirant; si autem viderint illos peccantes nemo tristatur, ut ostendant, quia corporis sunt parentes, et non animarum. S. CHRYS. hom. xx. *Op. imperf.*

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS.—S. Carolus Borromæus, summa cum sollicitudine, omnibus verbum Dei annuntiantibus tam Parochis, quam quibusvis aliis præcepit, ut parentibus rectam, et in bonis moribus bene ordinatam inculcent liberorum educationem; de filiorum autem educatione, et totius familie cura, quam diligentissime agat, et crebro; cum optima hæc institutio maxime intersit ad omnes totius Christianæ discipline rationes. S. CAROLUS, *in ACTA MEDIOL. f. 448.*

Job sanctissimum virum, cum ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quod fuerit justus, quod verax, quod religiosus, quod pius, tum ex eo maxime, quod filiorum optime nutriendorum, habuerit summam diligentiam; non enim ea cura utebatur, ut aurum illis copiosissimum acquireret, non ut humana gloria verendos et illustres cerneret, sed quid ille tandem requirebat? Audi, quid Scriptura dicat: « Cum consummati essent dies convivi illorum, mittebat Job, et purificabat eos; consurgensque diluculo offerebat pro eis sacrificia ad numerum ipsorum, vitulumque unum pro peccatis, et pro animalibus eorum; dicebat enim Job in corde suo, ne forte filii mei in mente sua mala cogitaverint. S. CHRYS. h. xxvii. t. vi.

Mater Melithonis cum vidisset, quod car-

nifices ipsum fidem negaturum esse sperarent, ipsamque propterea etiamnum viventem, una cum aliis fratrum cadaveribus curru in jecissent, ipsa Melithonem humeris suis impositum ad currum veloci gressu portare conata fuit, quam proinde Deus hæc gratia donavit, ut inter maternos amplexus Melithon expiravit. In cujus amplexu Melithon spiritam Deo reddidit, ejusque corpus in eundem illum cæterorum Martyrum rogum pia mater injecit. S. BASILIUS in concione quadam, quam in laudem quadraginta Martyrum habuit, ita loquitur: Revera Martyris mater, revera bonæ radicis germen. Ostendit generosa mater, quod magis ipsum pietatis dogmatibus nutritur, quam lacte, hic quidem sic educatus, sic a pia matre deductus est. S. BASIL. s. de 40. *Martyr.*

S. Ambrosius de matre Machabæorum ait: Ista maternum in hoc ponebat affectum, si filiis magis perpetuam vitam, quam temporalem suaderet. S. AMBR. lib. ii de *Jac. c. xii.*

S. Gregorius Nazianz. in oratione quadam in laudem S. Cæsarii fratris sui habita ostendit, quanto amplius genitores sui in hoc filio vitam amaverint spiritualem et æternam, quam temporalem et corporalem, ait enim: Atque omnes felicitatis numeros expleverunt, excepta hac postrema, ut quispiam existimare queat, sive probatione, sive dispensatione, hoc est meo quidem iudicio, ut præmisso eo filio, cui propter ætatis lubricum magis timendum erat, ita jam ipsi securo animo vitam claudant, et cum universa domo ad superna transferantur. S. GREG. NAZ. *in Orat. x. de S. Cæs.*

S. David, quam bene educaverit Salomonem, in fine vitæ ostendit, quando eidem ad se vocato has doctrinas dedit: Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario. Omnia enim scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quisieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. I PARAL. xxviii.

Tobia senior filium suum ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. Sed et circa finem vitæ quamplurima salutaria præcepta illi dedit, uti l. c. videre est. Tob. c. i et iv.

Susanna, filia Helicæ, erat timens Deum; parentes enim illius cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. DAN. c. xiii. 3.

S. Monica S. Augustinum filium Mediolanum usque secuta est, et enixe laboravit, ut facta cum S. Ambrosio consuetudine, ab eodem ad veram fidem reduceret. *SURIVS, 4, Maii.*

S. Blanca S. Ludovici Francorum Regis mater, peccati gravitatem ita filio depingebat, ut is mallet lepra infici, quam unico peccato. Sed et illa dicere ei solebat: Malo te videre vita privatum, quam unum lethale peccatum perpetrantem. *Vita S. Ludov. c. XIV.*

UTILITAS.—Henricus Quartus, Galliæ Rex, a parentibus suis colono educandus traditus est, ibique pecora agere, sudare, algere, et dum per statem lieuit, militiæ nomen dare jussus est, unde postea in tam præclarum Regem evasit. *ENGELG. Luc. Evang. p. 11 in Dom. 6 post. Pasc.*

Danarum neglectæ educationis.

S. Brigitte olim visa est mulier e caliginoso loco prodiens, sine corde, trunca labiis, naso exeso, oculis in genas propendentibus, exdentibus horriificis pectus vermicibus, de filia, tamquam si eorum adesset, miserandum conquerens, quod pessima matris exempla et mores imitata, quoties peccat, novis auctibus penas illius adaudeat. *S. BRIGIT. Revel. l. IX, c. LI.*

Alius quidam vir sanctus, Angelo duce, vidit patrem et filium in mediis inferni ignibus mutuo se maledictis proscedentes. Maledicit filii, aiebat pater, quo me miseriarum adduxisti, justis, injustisque artibus utentem, ut te multarum opum haberem successorem? Cui ex adverso filius: Quin imo huc me tua indulgentia, huc tui nimis amor ab religiosa vita desiderio abstractum præcipitavit, detestande parens! *DIONYS. CARTH. de 4. Noviss. c. XLII.*

Prætextata, jubente viro Hymetio, qui patruus Eustochiæ virginis fuit, habitum ejus, cultumque mutavit, et neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens et virginis propositum, et matris desiderium; et ecce, eadem nocte cernit in somnis venire ad se Angelum terribili voce militantem penas, et hæc verba spargentem: Tunc ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attritare manibus, que jam nunc arescent, ut sentias exeruciata, quid feceris, et finito mense

quinto ad inferna duceris. Sin autem perseveraveris in scelere et marito simul oraberis, et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, et seram miseræ penitentiam velox signavit interitus. *S. HIER. ep. ad Lotam.*

In urbe Mantuana juvenis quidam uxorem ducere volens, de conditione autem patris sui, qui senex decrepitus et orbus fuerat, erubescens, ne ipsius causa in die nuptiarum aliquo perfunderetur pudore coram invitatis convivis, eundem paulo ante nuptias foras extra civitatem perduxit, ut illum in Ecclesia quadam uno milliari a loco habitationis dissita recluderet. Pater autem se e civitate educi videns, quo versus tamen, et in quem finem id fieret, ignorans, omnino anxius et tristis affligebatur; jamque defatigatus eundo, super ingenti quodam lapide se prostravit, in quo decumbens, ex filio causam et terminum itineris perquisivit, de quibus cum a filio certior factus fuisset, mox pater exclamavit, dicens: O digna et vera Dei justitia! Memini, filii mi, quod similiter feci patri meo, quando duxi matrem tuam, et duxi cum per istam viam, et ad istam Ecclesiam, et pausavit super hoc lapide, sicut et ego; ideo bene facis, filii mi, satisfaciendo mihi eo pretio, quo ego satisfeci patri meo; sed unum tibi significo, quod posteris tuis relinquam, ut similiter tibi faciant, sicut tu mihi fecisti. Quod audiens filius, exterritus, magnam Dei justitiam contemplando, reduxit patrem ad proprios lares, et ipsam ad nuptias primalem in mensa locavit, ut decuit. *MANSI, tr. 23. disc. 3 n. 7.*

Terribilis est casus, qui filiis ab ursis dilaniatis accidisse in Scriptura refertur. Cum enim Eliseus Propheta in Bethel ascendere, pueri quidam Propheta calvitium in vertice notantes, vocibus ludibrios post illum clamarent: *Ascende cabre, ascende cabre!* quibus sanctus vir Dei, quantumvis alias mitis et clemens, ex parte Dei maledixit: *Qui cum respexisset, vidit eos, et maledixit eis in nomine Domini.* Et ne inanis videretur hæc super eos pronuntiata maledictio, sacer textus subjungit. *Egressi sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Per quod supplicium Deus edocere voluit, que mala parentum exempla filiis creant. Pueri parvi edocti ad hoc et incitati a suis parentibus idolatris, ut subsanarent Prophetam Domini, et ideo maledixit eis, ut parentes eorum ipsis punirentur, et ut malitiam

parentum amplius non imitarentur. *S. Aug. inquit: Rem parentibus instigantibus fecisse pueri contumeliosis credendi sunt; neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret. Ast, juxta Justini Martyris sententiam, Deus puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit, ut in vero Dei cultu, modestia, et probitate filios suos educerent, ne similiter castigentur. Ibid. n. 9.*

Dum Ismael ab Agar supra modum dilectus, sed male educatus, cum Isaac insolentia et inverecunde luderet, causam dedit, quod cum ipso simul et mater in exilium pulsa, indigneque habita fuerit. *Ibid. disc. ix. n. 10.*

Pæne filiorum parentes non reverentium.

S. Bernardinus refert, se a persona quadam fide digna memorabile quoddam audisse facinus, quod suo tempore contigerat, de filio quodam impio, qui parentem e domo sua exturbatum, et improperii onustum, per capitis comam et barbam apprehendit, pugnisque et calcibus crudeliter contudit, ac demum per longum plateæ spatium per terram raptavit. Cumque ad certum quemdam illius plateæ locum pervenisset, pater ille sic misere tractatus, his filium suum verbis affarecepit: Non plus, non plus, filii mi, quia hucusque traxi ipse patrem meum, et tu, filii mi, fecisti vindictam ejus! Nimirum, quia recordabatur, quam indigne ipsemet, spectante filio suo, patrem suum filii avum tractaverat, facile intelligebat, Deum justo judicio suo permittere, ut idem quoque de manu filii sui pati cogereetur impietatis supplicium. Intelligens judicium Dei, filio cum lacrymosis gemitibus et ululatibus ait: Non plus! etc. *S. BERN. tom. II, in Domin. II. Quadrag. s. 27.*

Refert quoque aliud simile, quod in territorio Foroliviensi in Spilimberg contigit. Cum enim dominus castelli illius quadam vice ingens in domo quadam audisset clamantis lamentum, eo ingressus, invenit filium diris modis patrem suum percutentem. Unde compassione erga patrem commotus, et furore peractus in impium filium, eundem velut tigris savioerem justis afflicere penas statuit. Sed ecce, inquit S. Bernardinus, mox pater ille genuflexus coram domino, dixit: Ne percutias filium meum, quia etiam ego verberabam genitorem meum. Quod audiens ille, et considerans judicium Dei,

statuit quod de cætero ad libitum ipsum impune verberaret. *Ib. S. 12.*

In villa rusticus aliquis labium faciebat, et puerulus suus ait: Pater, quid vis facere? Et rusticus ait: Volo in labio isto dare comedere avo tuo. Et puer a Deo inspiratus, dixit: Pater mi, fac ipsum bene magnum, quia cum eris senex, sicut est avus meus, ego similiter dabo tibi comedere intus. *Ibidem.*

P. Cæsar Franciotti, in libro de Sanctis Lucensibus, in prima de S. Angelo observatione funestum hunc narrat eventum, ab Archiepiscopo Ragusensi, Vincentio Dalporico, Nobili Lucensi, R. P. Joanni Leonardo, Fundatori Congregationis Matris Dei, narratum. In insula Ragusensi rusticus, cognomine Boscas, quemdam habebat tante impietatis et insolentiæ filium, ut matrem graviter percuteret, et enormes injurias adderet plagis. Exasperata mater filio in hæc verba maledixit: Utinam peres, neque ossa tua terra, aer, aut mare conservet! Maledictio suum sortita est effectum post exile spatium, quando mortuum atque sepultum terra evomuit cadaver, in aerem sublimatus corruit in terram; in mare projectus ad litus repertus, atque prostitutus inventus est. Mater suæ memor maledictionis, filium mortuum in altum mare, dum maxime desaveiret, fecit deferri, moxque ferum elementum corpus in scopulum impigit tribus acutum partibus, quarum qualibet frustum cadaveris a trunco divulsum sibi univit, subito transmutatum in saxum. *CÆSAR. FRANCIOTTI, in lib. de SS. Lucensibus.*

Eodem in loco idem tradit auctor, quod in Decimo, loco Episcopatus Lucensi subiecto, anno 1592, quidam Pater Dominicanus, Prior S. Mariæ Bella Cerqua, predicans de bona educatione, obedientia, et respectu erga parentes, tale de se, suisque fratribus publice perhibuerit testimonium. Quinque in sæculo debebamur fratres, quibus quadam in occasione indignatus pater maledixit, eo effectu, ut paulatim consummaremur omnes; mortuusque quatuor aliis, solus ego superstes eram, qui, ut divinam vindictam subterfugerem, Statum Religiosum amplexus sum. *SCUTUS, 25. Maii.*

Joannes, Archiepiscopus Aretinus, in vita S. Zenobii Episcopi Florentini, de divite quadam muliere, eaque vidua tradit, quod duos delicate admodum nutritiæ filios, a quibus postmodum graviter percutsa, hanc eis maledictionem imprecata est, ut ab om-

nibus agitantur demonibus, moxque omnes ab infernalibus obsessi spiritibus, et furibundi se invicem tamquam canes rabidi dilacerare ceperunt, nec ullius vis, præterquam S. Zenobii, qui eos et matrem baptizavit, preces opitulatæ fuere.

Pater quidam multa cum industria et sudore paupertatem in magnas commutarat divitias, unicum, quem habebat, filium nobili femine desponsavit, quæ formæ suæ raritate ita mariti animum devicit, ut faceret quodlibet ad libitum suum; socii itaque pertasa, maritum induxit, ut eum male tractans, vix vite necessaria subministraret. Die igitur quadam a fame stimulatus, abiit, ut necessarium peteret vitæ sustentationem; mulier itaque marcidam aliquot ei offerens fabas, sique abire jussu senecione, ad suum se convertit maritum, cum dicto: Modo possumus comedere in pace; vade ad arcem, et accipe caponem coctum. Et cum aperuit, mutatus capo in bufonem, qui subito saliens ad faciem ejus, ponebat duos pedes ad mentum, et duos ad frontem, et operuit totam faciem ejus, et non fuit medicus, qui sciret eum amovere. Tandem venit quidam, qui fecit tenellas quasdam, et dixit, quod eum amoveret; tunc bufo aspexit eum tam terribili vultu, quod ille cecidit in terram, et amplius non audebat aliquid facere; et nullus fuit, qui sciret apponere consilium, sed mala morte mortuus est. Thomas Cantipratanus diversas aliquot addens circumstantias differentem a prædicto casum videtur insinuare in hæc verba: Et erat illud supremi stuporis miraculum, ut, si quidam monstri illius pars aliqua tangebatur ac si percuteretur in corde, ita homo sensibilibus lædebat. Conterritus itaque mirabiliter et contritus, adit diocesanum Episcopum, et cum omni dolore confessus, pro penitentia recepit ab illo, ut per omnes fines Normannie, et Gallie civitates, revelata facie circumiret, et ubique narraret populis eventum rei ut per hoc exemplum sumerent filii, honorare parentes, et discerent, quam periculosum sit et nocivum, vicem non rependere laboribus, quos ipsi parentes filiis impenderunt. Hunc hominem cum bufonis monstro circumvenit F. Joannes de Magno Ponte, Ordinis Prædicatorum, sicut per ipsum nobis relatum est, vidit in juventute Parisiis palam referentem omnibus, et monstrantem, quod pro inhonoratione parentum passus fuerat multis annis, et adhuc secundum

Dei voluntatem pateretur. Subditque, se a fide dignis accepisse, dictum infelicem per aliorum sanctorum Dei servorum preces, ab illo monstro liberatum fuisse. THOM. CANTIPRA. l. II, Apom. c. 7, n. 4.

SANCTUS Bernardinus Senensis historiam quamdam refert, quæ in civitate Bergomi accidit, de quodam patre, lucri et usuris totaliter immerso, ut filiis suis locupletem hæreditatem relinqueret. Qui filios erga se irreverentes et inobedientes ut vidit, in semetipsum reversus, dixit: Ego animam meam propter ipsos contemno, qui in vita sua erga me sunt contumaces; experiri statui, quomodo adjuturi sint animam meam in casu, quo morerer. Ac proinde conjugi suæ secretum cordis sui communicavit, quæ cum ei consilii maritalis altum promississet silentium, pater ille se graviter infirmum esse finxit, et post quinque dies mulier domum egressa flens et ejulans, filiis, patrem mortuum esse, dixit: Qui subito ubinam claves ærarii depositæ essent, anxie quæsierunt, quibus mater maritum suum, priusquam moreretur, serio sibi præcepisset, dixit, ne claves illas in ullius alterius hominis manus consignaret, eo quod pro conscientia sua exoneranda pecunias a se relictas pauperibus distribui vellet, eo quod per usuras comparatæ fuissent. Quo audito, unus filiorum cum imperio et arrogantia claves se habere velle respondit; mater autem se illas in pectore gestare cum dixisset, ille violentas pectori manus intulit, cumque illa eum filio suo lactaretur, alter filius natu major cameram, in qua pater decumbebat, una cum aliis ingressus, nec tamen lectum, in quo pater jacebat, respiciens, ærarium, in quo pecunia deposita erat, ferro violenter rupit. Tunc pater levato capite dixit: Quis rumor, o filii? Cur tanto impetu matrem perturbatis vestram? Ecce vivo! Et surgens ejecit filios de thalamo; et conversus ad se, vidit periculum animæ suæ, et confessus male ablata restituit, et omnia pauperibus erogavit. S. BERN. t. IV.

In historicis Hispaniarum, de Alphonso VI legitur quod, cum Theresiam matrem suam in vineula conjectam compedibus innexisset, ipsa prophetando ei dixit: Quia vinculis crura mea strinxisti, Deum precor, ut ab hostibus capiaris, et crura tua fracta conspicias. Quæ omnia magno ejus infortunio de ipso verificata fuerunt. ROD. SANTIUS p. 1, Hist. Hisp. iv, 14.

S. Gregorius Turonensis, ut potestis oculatus, de Meroveo, filio Chilperici Regis Franciæ, refert, quod cum regnandi cupidus esset, atque a patre suo ob sæpius inde natas turbulentias, detonsa coma in monasterium quoddam reclusus fuisset, is ab eodem fugiens, Turonas ad templum Sancti Martini confugit, ubi ab historico, qui historiam hanc scripsit receptus fuit. Meroveus autem de patre atque noverca multa crimina loquebatur, quæ cum ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse Deo, ut hæc per filium divulgarentur, sicut ex sequentibus cognovi. Quadam enim die ad convivium accitus, dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliquid ad instructionem animæ legi; ego vero reserato Salomonis libro, versiculum, qui primus occurrit, arripui, qui hæc continebat: «Oculus qui respexerit adversus Patrem, effodiant eum corvi de convallibus.» Ille vero non intellexit, considerans hunc versiculum ab Episcopo præparatum. In eo namque adimpletum fuit hoc a Sapiente comminatum supplicium, quia a patre Chilperico excecatus, et vita privatus fuit. Pater quoque, qui illum excecaverat, a Fredegunde uxore sua morte violenta fuit sublatus. MAXSI, disc. xv, 8.

S. Bernardinus Senen. refert, in Catalonia, in civitate, quæ Sui appellatur, et Valentie vicina existit, juvenem quemdam octodecim annorum patri suo inobedientem, facinorosum factum fuisse latronem, atque a Justitia apprehensum in furcam fuisse adactum; eo autem ex patibulo pendente mirum hoc successit prodigium. Adhuc in patibulo pendente, cum esset omnino imberbis, vidente ac mirante cuncto populo, paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendunt, gradatim senescens usque ad decrepitam senectutem, et quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus. Accurrit ad miraculum Episcopus cum universo Clero, et cuncto quasi civitatis populo, stupent omnes, ignorant mysterium, expectant eis revelari secretum, surgit in loco eminenti Episcopus doctus, manumque silentium indicens turbæ ait: Viri fratres, et filii mei dilecti, nostis juvenem hunc, quæ culpa, quæ vita, quæ etiam ætate interit, conspiciat eum nunc ætate senem decrepitum atque canum, ut intelligatis hoc patens judicium Dei, quod huic diu victuro, a Deo misericorditer, per sua crimina, et parentum inobedientiam,

abbreviata est vita. S. BERN. t. II, s. 17, in Dom. ii. Quadv. n. 3. c. 1.

Mater quædam filie inobedienti, 8 annorum, assueverat maledicere, eique imprecari, ut a lupis devoraretur. Anno itaque 1592, in festo Corporis Domini, dum omnes domestici reliqui ad Missam audiendam se contulissent in Ecclesiam, solam in domo superstitem filiam invasit discerpitque lupus, cujus partem suis vicinis detulit catulis, reperto postmodum puellæ capite in specu lupina. MANSI, disc. xviii, 4.

Filiorum bene educatorum observantia erga parentes.

Thomas Morus, Magnus Angliæ Cancellarius, qui pro fidei Catholice defensione Martyr occubuit, adeo erga genitores suos venerabundus extitit, ut etiam in sublimi illa dignitate constitutus, non dedignaretur, etiam conjugatus, et provecata ætate consociatus, patris benedictionem quotidie postulare. STAPLETON, in Anglia.

Eustochia ita patri semper adhesit, et ejus obedivit imperiis, ut nunquam absque ea cubaret, nunquam procederet, nunquam cibum caperet, ne unicum quemdum haberet potestatis suæ, sed et paternam et maternam substantiam a matre distribui pauperibus letaretur, et pietatem in parentes, hæreditatem maximam et divitias crederet. S. HIER. in Ep. ad Paulam.

Fulgosus refert de quodam aurificis Tole-tani filio, quod, cum pater ejus ob falsam suspicionem ad patibulum condemnatus fuisset, filius autem patris innocentiam justificare non potuisset, omnibus viribus possibilibus judicem eo inclinare studuerit, ut patris loco ignominiosam mortem subiret, quod et obtinuit, sique honoris et reverentiæ paternæ victimam mortuus fuit. FULGOS. l. V, c. iv.

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Ælianus lacrymosam integræ cujusdam familie, quam in barathrum mortis et desperationem, malum cujusdam unius patris exemplum præcipit, hanc scribit tragediam. Mæcarius, Jovis impii sacerdos et ipse impiissimus, proditoriam mortem cuidam intulit homini, qui in certo templi an-

gulo dives quoddam occulerat depositum; mortuum itaque in eodem situ sublatis pecuniis sepelivit. Duo filii, qui iniqui sacrificii illius fuerant spectatores, in absentia patris eum imitari, ad altare accesserunt. Ardente itaque igne junior cervicem porrexerat, majorque gladio forte fortuito invento juniore caput succidit, quo spectaculo atteritis domesticis occurrit mater, qua filii morti ingemiscens, titione ardenti ex altari sublato fratricidam peremit; qua nuntia intelligens Macarius furibundus advolat, hastaque arrepta trucidat conjugem, qui, rumore divulgato, captus, crimenque confessus, et ipse ad mortem condemnatus fuit. *ÆLIAN. l. XIII. Var. hist. c. II.*

Lycurgus, Lacedæmonum legislator, legibus Republicæ promulgandis animo intentus, Lacedæmonibus, quanti referat juventutem a primis annis virtuosè educare, persuadere volens, duos contrivit canaliculos, ab eadem matre eodem tempore progenitos, quorum unum in domo sua laute cibavit, alterum vero venationi adaptare volens, campos semper oberrare fecit; tandem vero utrumque in conspectum populi et Magistratus adducens, ex una parte cibos apposuit lautos, ex alia vero vivum collocavit leporem; moxque is, qui prædæ capiendæ assuefactus fuerat, leporem solutum videns, eundem relicti cibi delicatis strenue est insectus; alter vero ad cibos præparatos advolavit; tuncque sapiens hic legislator populo dixit: Duo hæc animalia ab una eademque matre, uno eodemque partu sunt progenita, et tamen magnam in illis conspiciunt differentiam, cujus causa est diversa utriusque educatio, quam sunt sortita. Moxque inde occasionem sumpsit firmiter eorum animis imprimendi, quanti referat bona filiorum educatio, qui tametsi sint unus ejusdemque arboris rami, attamen bonus vel malus eorum exitus et eventus, a bona vel mala educatione dependeat; siquidem totius reliquæ vitæ mores ab iis, qui in primis annis comparati fuerunt, semper derivantur. *MANSI, disc. VI. 8.*

Plutarchus apud Lacedæmones duos fratres fuisse scribit, qui, cum inter se litigarent, tandem causa in judicium deducta, ambo ab omni fuerunt reatu absoluti. E contra vero punitus pater, eo quod auctoritate, disciplina, bonoque exemplo, filiorum discordiam non prævenisset. *PLUTARCH. apud Lacedæmon.*

Cornelia, Græchi mater, cum Campana mulier ornamenta sua pretiosissima illi ostenderet, traxit eam sermone, donec liberi e scholis redirent, et tum iis ostensis: Hæc, ait, ornamenta sunt mea. Significans, nihil præferendum filiorum educationi. *PLUTARCH.*

Alexander Magnus fatebatur, se plus Aristoteli præceptor, quam Philippo parenti, obligatum esse, quod ab hoc esse dumtaxat, ab illo bene vivere accepisset.

Cum Republica Atheniensis gravissimis vitis scateret, et ideo Senatus consilium iniret, qua ratione pristino vigori restitui posset; quidam putridum pomum in medium protulit, dixitque, illi Rempublicam similem esse; sed tamen, sicuti ex granis hujus pomi terræ mandatis frugifera plantæ exerescere possunt; ita non minorem fructum in Republica sperandum, si juvenus velut semen e terra enatum singulari solertia excolatur. *ENGELER. p. 2. Luc. Evang. in Dom. VI post Pasch.*

Filiorum reverentia erga parentes.

Auctor quidam, qui Indiarum Historia conscripsit, inviolabilem populorum illius regionis consuetudinem esse dicit, quod patris, matrisque exequias integro triennio continuare soleant; cujus hanc assignat rationem, ut suis parentibus, qui primæ ætatis triennio eos ulnis gestaverant, tantoque labore educaverant, vicem rependant. *TRIGART. in Exped. Sin. l. I. c. VII.*

Idem auctor scribit, quod filii sæpe parentum suorum cadavera diuturno tempore domi conservent, eaque certo quodam transluco bitumine aspergere soleant, ne eadem cadavera malum de se spirent odorem, interea vero quotidie cibum et potum ipsis offerant, hand secus, ac si viverent. *Ibid.*

Admirabile dignissima est compassio filie illius erga matrem captivam; cum enim illa a prefecto carceris cibum matri deferri prohiberetur, illa cibi loco, porrectis matris uberibus suis, lac ei sum propropavit. Deprehensa est uberibus alens eam, quo miraculo matris salus donata pietati est, ambæque perpetuis alimentis; et locus ille eisdem consecratus Deæ, templo Pietatis extracto in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est. *S. AMBR. l. V. Hec. c. XVII.*

Exempla brutorum.

Cassiodorus, ad nostram confusionem, libro secundo Epistolarum suarum de ciconiis ita scribit: Cum parentes earum pennas senio cogente laxaverunt, nec ad proprios cibos idonei possint inveniri, plumis suis genitorum membra foventes, escis corpora lassa reficiunt, et pia vicissitudine juvenes reddunt, quod a parentibus parvuli susceperunt. *CASSIOD. l. II. Epist.*

Plutarchus de leonibus scribit, quod juniores prædam suam dividant cum senioribus. *Plinius similiter inquit: Glires genitores suos fessos senecla, insigni alunt pietate. PLUTARCH. de Solert. animal.*

In historia quadam antiqua pariter legimus, quod conflagrante fere toto Delpho Batorum oppido, ciconiæ proles suas adhuc implumes ab incendio protegentes alis contexerint, rostro detulerint, ac pedibus, ut eriperent; et ne officium intermitterent paternum, nunquam deseruerint, quin potius mortem cum illis sustinuisse propalam vise sint. *MANSI, disc. XIII. 6.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut agri non omnes fructiferi sunt, qui coluntur; ita non omnes animi eundem ex cultura fructum ferunt. *PLUTARCH.* Sicut gypso madido celerime utendum quod celerime siccat; ita statim fingenda litteris ac moribus ætas rudis, prius quam durior facta non admittat fingentis manum. *JOSEPHUS LANG. in Polyonth. V. eod.*

Sicut terræ non quæcumque semina injiciunt, sed que utilem dumtaxat fructum promittunt; ita neque pueros disciplinis licet fallere, que tantum decorem afferant, sed que conducunt, et vitam potius, quam linguam formant et erudiunt. *Ibid. V. Institut.*

Sicut rami et surculi natura parvi et tortuosi, nunquam redigi ad rigorem possunt, quamvis manu tractentur, et emolliantur, sed ad naturalem statim parvitatem recurrunt; sic ii, qui parum honeste nati et educati sunt, continuo ad humum spectant, hoc est, vilissima ministeria adamant, nec in sublimem animos attollunt, nec recti umquam, nec liberi sunt. *Ibid. V. Educat.*

Sicut arbor semper ejusdem qualitatis

fructus producere continuat, cujus produendi virtutem a principio, priusquam alteri insita fuit, in se habuit, nec umquam ab illis degenerat; eodem quoque modo homo in iisdem moribus, indole et consuetudinibus, quibus a principio assuevit, in totius reliquæ vitæ decursu semper continuat. *Hinc S. Aug. « Est nativitas quasi abor, que inseritur, que si bono surculo inseritur melior fiet, si malo, deterior; ita et nativitas, si bona accedat doctrina, bonos faciet fructus; si mala, malos. » S. AUG. l. IV, ex qq. Vet. Test.*

Sicut artifex quatenus formam aptam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento lenit, premit et percutit, nunc discreto levamine lenius levat et format; sic et vos, si pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est, ut cum depressionibus verborum impendatis eis paternæ pietatis, et mansuetudinis levamen, atque subsidium. *S. ANSELMUS, apud Surium, 22. April.*

NECESSITAS. — Sicut aqua in areola digittum sequitur præcedentem; ita ætas mollis et tenera in utramque partem flexibilis est, et quocumque duxeris, trahitur. *S. HIERON. ad Gaud.*

Sicut in agrorum cultura bonam in primis terram esse oportet, tum serendi et colendi terram peritum agricolam, deinde optima semina; eodem modo loco terræ natura, loeque agricolæ præceptor, et loco seminum institutio bona esse oportet, ut probe pueri educentur. *PLUTARCH. Puer. de Educ.*

Sicut si cera nimis dura vel mollis fuerit, sigillo impresso, ejus figuram in se nequam ad plenum recipit, si vero, ex utrisque, duritia scilicet atque mollitie discrete habens sigillum imprimitur, tunc forma sigilli omnino perspicua et integra redditur; sic est in ætatibus hominum. Videas hominem in ætate hujus sæculi, ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, et in his penitus obduratam, cum hoc æge de spiritualibus, hinc celestia secreta doce rimari, et perspicies eum, nec quid velis quidem posse videre; nec mirum, indurata cera est, in istis ætatem non trivit, aliena ab istis sequi didicisti; e contra consideres puerum ætate ac scientia tenerum, nec bonum, nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de hujusmodi disserentem; nimirum mollis cera est, et quasi liquens, nec imaginem sigilli

quoquo modo recipiens. Medius horum adolescens et juvenis est, ex teneritudine atque duritia congrue temperatus; si hunc instruxeris, ad quæ vales, informare vales. Quod ipse animadvertens, juvenibus majori sollicitudine invigila, procurans in eis vitiorum germina extirpare. S. ANSELM. lib. c.

Sicut lac, quod a nutrice ubere sugimus, est illud, unde hæc nostra corpulentia componitur, dum scilicet ejus substantia, in ossa infantis, medullas, venas, arterias, omniaque alia membra distribuitur; ita idem de hominis pueritia asserere possumus; omnes enim hominis inclinationes, mores, virtutes, omniaque alia bona, quæ in totius vitæ decursu habemus, fructus sunt bonæ discipline et educationis, quæ homo in adolescentia sua coeretur. S. CLEM. ALEX. I *Pæd.* c. ix.

Sicut ferarum quævis suam semitam sibi propriam aperit, ac per eamdem semper in sua vivaria aut speluncas sine errore aliquo it reditque; ita per raro priori dimissa, aliam sibi aut ipsa referet, aut ab alia jam tritam carpet, ex quo demum fit, ut fere assidua ejusdem semite repetitione, sui notas et odorem in ipsa relinquat, per quas sagacitas canum easdem persequitur, et assequitur. Ergo hæc in re non dissimile hominum ingenium, singuli ab initio propriam sibi semitam aut vivendi rationem usurpant, et ab ea deinceps nullis dehortationibus arceri, et in aliam induci possunt. MANSI, disc. vi. 6.

Sicut quod in tenera etate in ossa ingreditur, et simul cum ossibus crescit, tandem induratur, et una eademque res cum illis efficitur; ita pariter vitia, et mali mores in juventute acquisiti adeo firmiter in nobis radicantur, ut ad ultimam usque etatem inseparabiliter nos comitentur. *Ibid.* n. 3.

Sicut arbores et plantæ cum e terra nascuntur, per se silvestres sunt, nec fructus bonos producent, quibus hortulanus sureolos inserit fecundos, eos potat, et prout opus fuerit, amputando, hinc inde ramos præscindit; ita homo, qui arbori a Psalmista assimilatur, dum ait: « Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, ut fructum faciat, » ignemque inferni inextinguibilem evadat, necesse est, ut, dum parvulus et tener est, amputetur, et inutilis rami præscindantur, surculi boni inserantur salutarium dogmatum et disciplinarum, idque quandiu in eo durat ætas immaturior, tunc

enim doctrinam sibi traditam facilius apprehendit, tenaciterque retinet per reliquum vitæ. *Idem.* disc. viii. 1.

Sicut nulla est arbor, quæ non sterilesceat, ac tortuosa fiat, si cultura desit; ita nullum tam felix est ingenium, quod non degeneret citra rectam educationem. PLUTARCH. in *Moral.*

Sicut nullus equus recte sessori parèt, nisi arte domitus; ita nullum ingenium non ferox, nisi præceptis circuretur et educatione. *Ibid.*

Sicut molli materie facile sigillum imprimatur, duræ non item; ita puerorum ingenia, dum mollia sunt, excoli debent; sin autem etate indurescant, vix recipient disciplinam. *Ibid.*

Sicut ager, nisi colatur, non solum infrugifer manet, sed etiam silvestria germina producit; ita adolescentia rationis capax, nisi præceptis honestis exerceatur, non solum non evadet bona, sed etiam ad multa vitia deflectet. *Ibid.*

Sicut neque terra, quæ media ætate obduruit, neque quæ hyemis rigorem sensit, sed quæ ineunte vere aperitur, et adhuc mollescit, semen utiliter excipit; ita prima pueritia ad præceptiones imbibendas maxime idonea, atque ideo sedulo excolenda est. THRIWERIUS, in *Apoph.*

Sicut terra, licet semel culta sit, iterum tamen suapte natura exhorrescit, nisi iterum aratrum admoveatur, ac semen immittatur; ita licet pueri a teneris unguiculis probe instituti sint, vitia tamen mox repullulant, nisi crebra admonitio et excitatio ad virtutem accendat. *Ibid.*

UTILITAS. — Sicut nulla tam fera est belua, quæ non mansuescat cura; ita nullum tam agreste est ingenium, quod institutione non mitescat. PLUTARCH. in *Moral.*

Sicut ursus informes signat catulos, et lambendo format; ita rudem ingenii fetum diutina cura expoliri convenit. PLINIUS, l. VIII, c. xxvi.

Sicut arbor per se infrugifera, tamen institutione discit ferre fructus; ita pravum ingenium institutione ad bonam frugem reduci potest. *Idem.* l. XVII, c. xiv.

Sicut fœnum Græcæ, quo pejus tractatur, hoc provenit melius; ita liberi quidam, quanto habueris indulgentius, tanto minus proficiunt; neglecti vero et vexati, in viros insignes evadunt. *Idem.* l. XVIII, c. xxvi.

Sicut si amicum præcipitem pede apprehenderes cumque vulnerares; ita tamen ut a discrimine præsentissimo ipsum eriperes; quidquid foret de plaga, ingens certe illi beneficium præstitisses, scilicet vitæ; ita et in presenti asserere licet, quod, licet pater virgam discipline infligat filio, in vitiorum et scandalorum barathrum ruenti, nihilominus insignia edat amoris et beneficii paterni indicia, dum filium hoc modo a præcipitio ereptum, in securo constituit corporalis et spiritualis salutis statu. MANSI, disc. viii. 2.

Sicut qui in agro et vinea sua diligentem operam collocat, evadit pauperiem; ita si in filio tuo operam navaris strenuam, filium a turpitudine liberas. PAULUS DE PALAT. in c. xxx *Eecl.*

JUCUNDITAS. — Sicut agricola vehementer exultat, generosos fetus ex arbore legens, quam suis quondam manibus consererat, ac multa cura coluerat; ita præceptores ac parentes merito gaudebunt, si mores intueantur eorum, quæ a prima pueritia bene, feliciterque formaverunt. POLITIAN. l. VI *Ep.*

Dammum malæ educationis.

Sicut equus indomitus evadit durus, et in præcipitium vadit, et se et sessorem interficit; sic filius indisciplinatus in peccatum ruit, et se et animam suam duplici morte occidit. HUGO CARD. in c. xxx *Eecl.*

Sicut qui avide rem acidam edunt, tunc quidem gaudent, postea vero sentiunt dentium stuporem; ita si filio corrideas, tunc quidem ridebis, sed risum lues postea dolore. PAULUS DE PALAT. l. c.

Sicut simia, dum catulis suis blandiuntur, eosque etiamnum teneros inter brachia sua fortiter stringunt, suffocant eosdem; ita multi homines per blanditias, et nimiam benevolentiam, filios educant petulantes, et Dei inimicos, atque a bona disciplina, probeque moribus aversos et alienos. PLUTARCH. l. c.

MOTIVA.

Necessitas; de qua sic loquitur S. Chrysostomus: Illud autem vestram charitatem rogaverimus, ut et vos virtutis curam geratis, et continentiam liberos vestros doceatis. Hinc enim, ut ita dicam, omnia mala nascuntur. Consetudo enim malitiæ processu temporis invalescens, tantum facit malum, ut postea non possit aliqua vinci admoni-

tione, et cum semel a malitia fuerint occupati, quasi in captivitatem essent abducti, quoecumque diabolus jusserit, eunt. Hinc et Plato dixit: Optima quæque sive nature sive fortunæ munera, si negligenter culta fuerint, in pessima tandem evadunt. D. CHRYS. hom. lxx in *Gen.*

Utilitas; quia pater bonus mortuus in filio vivit, quia filius patris mores gerit, et ingenium; et si caro patris mortua sit, spiritus ejus in filio vivere videtur. PAULUS DE PALAT. in c. xxx *Eecl.*

Cui simillimum in sensum, verbis licet diversis, Hugo Card. subscribit, inquiens: Quasi non est mortuus, quia vivit in filio doctrina ejus, et conversatio, similem enim sibi reliquit post se, qui cum factis representat. HUGO CARD. ib.

Quod etiam confirmans S. Ambrosius, in morte Theodosii Imperatoris sic loquitur est: Ergo tantus Imperator recessit a nobis, sed non totus recessit; reliquit enim liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, et in quibus eum cernimus, tenemus.

Æquitas; quia quotidianæ nos experientia docet, quod granum frumentidam fructificandum longo tempore indigeat, alia vero semina non item; unde colligitur, quod ad suffocandum semen bonum, ne fructum reddat, tanta celeritas minime necessaria fuerit; cur igitur diabolus tam repente zizaniis supereminendis dat operam? Sed in promptu est responsio, quia omnia in figura confingebant: Diabolus enim semper, ut inquit D. Chrysologus, hunc stylum servat, quod primordia boni pulsant, sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciens, quod ea subvertere fundata non possit. In etate igitur tenerissima diabolus mala instillare dogmata nititur, et impedire, ne bonum semen, id est, bona educatio in primis vitæ annis radices agat, quæ in his tam virtus, quam vitium, facilius addiscitur, et retinetur. Seneca etatem maturam et teneram inter se comparans ait: Grandior ætas dura et intractabilis non potest reformari, tenera fingitur. D. CHRYS. Serm. xv.

Jucunditas, quam D. Chrysostomus indicavit, dicens: Nam si jucundum est videre arborem, quæ habet novam plantam e radice sua exsurgentem; multo magis jucundum est videre hominem omni olea amoeniore a radice sua filium habere astantem, quasi novam plantam. S. CHRYS. tom. I, hom. lxxix.

Dammum male educationis; nam, ut bene advertit S. Bernardinus, quando filius non timet Deum, neque cognoscit, neque amat, non expectet pater, quod sit gratus versus se, quia qui non curat de Deo, qui pater est omnium, multo minus curabit de patre terreno. S. BERNARDINUS SENENSIS, s. XII, in *Dom. II, Quadr.*

MEDIA.

Gratie divinæ imploratio; ut enim, licet agricola aret, et seminet agrum, nihil tamen efficiet, nisi solis influxus accedat; ita, nisi Deus per gratiæ suæ radios cooperetur, omnis institutio inutilis erit. TAVERUS, in *Apoph.*

Recte instituendi dispositio, quæ juxta Boetium in tribus consistit, in attentione, benevolentia, et docilitate, ut scilicet sit docilis ingenio, attentus exercitio, benevolens animo. Hinc et illi, qui equos instruere volunt, ante omnia recte freno parere docent. BOTT. de *Schol. discipl.*

Instituentis discreta directio; nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, miscenda est lenitas cum severitate, et faciendum ex utraque quoddam temperamentum, ut nec multa asperitate exuleantur subdidi, nec nimia lenitate solvantur. Hinc olim in arca cum tabulis legem comprehendentibus manna et virga simul posita fuerant. S. GREG. I. XX, *Moral.*

Vigilans custodia in removendis impedimentis; ut enim agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo securius crescant; ita qui alios instituit, sua custodia et vigilantia eos valare debet. PLUTARCH. in *Voral.*

Exemplum parentum, aut moderatorum; nam sicut omnis arbor bona bonum fructum facit; ita parentis vitium est filiorum exitium, sicut in arboribus vitium seminis totius arboris vitium est. Hinc et Plutarchus arboriter pronuntiavit: Ante omnia decet genitores numquam titubando, sed omnia rite agendo, illustre liberis semelipso exemplum proponere, quo ipsorum vitam sicut speculum respicientes a turpibus factis et dictis deterreantur. Unde et, juxta notam fabulam, interrogatus caner, quare sic retrorsum iret? respondit, quod sic a patre didicerit. D. CAUVS. *log. ser. XXI.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, in quo consistat bona educatio; quod imprimis indicat Salvianus super illa Psalm. LXXXVII, verba: «Quanta mandavit patribus nostris;» sic discurrens: Videtis, quas parari opes a parentibus filiis Deus jubeat, non pecuniarios thesauros, nec graves metallo aureo saccos, non superbas, ac præeminentes excelsis urbibus domos, non fundos interminabiles; non hæc Deus præcipit, pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria; scripto breviter, sed beatitudine sempiterna, ut ponant in Deo spem suam, et mandata ejus exquirant; cum vero Deus vivorum sit, non mortuorum, recte illa parari filiis jussit, per quæ æternum non morerentur. Clarius vero S. Isidorus Pelusiota: Qui liberis suis, ait, adhuc in tenera ætate, primum quidem verum de Dei excellentia atque providentia sensum, deinde virtutem, moresque probos inserunt, hi cum non modo parentum sed et optimorum magistrorum munere fungantur, a Deo mercedem accipiunt. Cornelius a Lapide in illa verba: «Erudi illos, et curva, etc.» sic loquitur: Vox erudi, spectat proprie ad intellectum; vox curva, ad affectum; uterque enim dirigendus est, et conformandus in pueris et juvenibus, ne vel indociles maneat, vel inflexibiles. Pueris enim ingenua est in intellectu ignorantia, hæc tollenda eruditione; in affectu superbia et concupiscentia, hæc curvanda et castiganda sunt mortificatione. Alia versio, loco, *curva illos*, legit: *cervicis eorum domes.* CORNEL. A LAP. in c. VII, 25. *Eecl.*

Secundo nosse debet modum educandi, quem egregie S. Thomas indicavit dicens: Notandum, quod alius est principatus patris ad filium, et domini ad servum; quia dominus utitur servo suo ad utilitatem propriam, sed pater utitur filio ad utilitatem filii, et ideo necesse est, quod patres instruant filios propter utilitatem ipsorum, non tamen nimis arcendo, aut subjiendo; et ideo dicitur Coloss. 3. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros*, ut scilicet non pusillo animo fiant, quia talis provocatio non animat ad bonum. Est autem provocare ad iracundiam, quando cum eis non agunt ea, quæ decet, moderatione, vel cum se eis duos, vel inexorabiles præstant; aut cum servo-

rum officia eis imperant, aut gravius, quam par sit, puniunt, et inde alienationem et iræ vindictam, et odium concipiunt contra parentes. S. TH. in c. IV. *Eph.*

S. Bernardinus textum illum adducens Proverborum: *Quæ parvit virgæ, odit filium*, ait: Et ne credant, quod semper flagello utendum sit, aperte subjungit dicens: *Qui autem diligit illum, instanter erudit;* nec ait: Instanter flagellat, et percutit, eo quod plus sint filii erudiendi, quam verberibus flagellandi. Quis unquam filiorum severius castigari promeruit, quam ille prodigus, contumax et rebellis, qui totum suum patrimonium cum meretricibus dilapidarat? Et tamen S. Chrysologus super illa verba: *Cecidit super colulum ejus*, inquit: Sic pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella, delicta non videt vis amoris, et ideo pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu; non minando illum recepit, sed cum canticis et symphoniis; si enim pater ipsum desperationi proximum vultu se vero a se rejecisset, si rigore adversus illum usus fuisset, utique nunquam illum lucratus fuisset. S. BERN., t. III, s. IX, ar. 3.

Tertio nosse debet, quæ sit ratio male educationis, quam S. Chrysostomus sequentibus verbis indicat: Itaque nulla alia ex ratione, perversi ut fiant liberi, contingit, nisi quod eorum patres circa vite presentis commoda æquo amplius incumbunt, et fere dixerim, insanunt; cum enim illa solummodo inquirent, nihilque illis preferendum censent, et suam pariter et liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres (quod nemo tamen me commodius dicere, quam verius existimet) parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti et animam et corpus æternis ignibus tradunt. S. CHRYSOST. t. IV, h. XXXVII.

Quarto nosse debet, cur parentes primum inter proximos locum obtineant, id quod S. Thomas clare ostendit dicens: Inter proximos maxime obligamur parentibus, et ideo immediate post præcepta ordinantia nos in Deum ponitur præceptum nos ordinari ad parentes, qui sunt particulare principium nostri Esse, sicut Deus est universale principium, et sic est quædam affinitas hujus præcepti ad præcepta primæ tabulæ. S. THOM. II, qu. cxxxii, a. 5.

Quale vero in specie sit debitum filiorum,

explicat S. Bernardinus Senensis dicens: Quamvis filius accipiat Esse corporale a patre, efficitur tamen ex hoc in debito duplici, quia illud corporale, quod accipitur, est de corpore patris sumptum, et transfusum virtute animæ, et operatione; ideo filius efficitur debitor honoris patris, tum ratione corporis paterni, tum ratione animæ, quia animam et corpus concurrunt in patre, ut sit principium filii; hinc ratione corporis paterni est debitum sustentationis propriæ, ratione animæ debitum reverentiæ. S. BERN., t. II, in ser. IV, post *Dom. III, Quad. n. 2.*

Quod vero præmium sperare possint ex tali reverentia, indicavit S. Bernardinus, verba illa: *Ut bene sit tibi explicans, dum ait:* In quo promittitur prosperitas ad bene esse, septem namque concupiscunt homines ad eorum esse, et bene esse, quæ maxime in additione Deuteronomii comprehenduntur, quæ sunt septem premia seu felicitates. Prima; longa vita. Secunda; substantia multa. Tertia; pulchra familia. Quarta, odoriferæ fama. Quinta, benedictio paternæ. Sexta, divina gratia. Septima, æterna gloria. Idem. t. II, s. IV, in *Dom. III, Quad.*

Sed et S. Bonaventura idem præmium explicans: Honoranti, inquit, patrem honore reverentiæ debetur vita gloriosa sive honorifica; honoranti patrem honore obedientiæ, debetur vita jucunda; honoranti patrem honore beneficentiæ, conceditur vita opulenta. S. BONAV. s. de 10 *Præc.*

Quinto nosse debet, quousque parentibus sit obediendum; id quod breviter Glossa indicat, dicens: Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed si cursum mentis præpedit ignorare, ut affectus mentis viscerum repleat, et a spirituali proposito non avertat. GLOSSA, in c. XXXIII. *Deut.*

Et S. Ambrosius: Quod occidi fecit a proximis proximos Moyses, filios a parentibus, præceptum evidens, quia præferenda est Religio necessitudini, pietas propinquitati; ea est enim vera pietas, quæ præponit divina humanis. S. AMBR. *Gloss.*

Immo S. Hieronymus ulterius progressus: Si pater, inquit, in limine jaceat; si mater ubera, quibus te lactavit, ostendat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, et ad vexillum Crucis evola: solum enim genus pietatis est in hoc, esse crudelem, et merito, quia retrahere a Religione nihil est aliud, quam Christum in peccatore alterius occidere, Christo se opponere,

spargere et dissipare, quæ Christus collegit. S. HIER. in *epist.* 1, ad *Heliod.*

Nosse debet, *quæ moribus institutionem incipiendam*; uti jam olim monuit Seneca, dicens: Mores primum, mox sapientiam discere, quæ sine moribus male discitur. SENEC. *Ep.* LXXVI.

Nosse debet, *quæ maxime utilia sint futura illi, quem instituendum suscepit*; ut enim nec terræ semina quæcumque injicimus, sed quorum capacem novimus; ita ipsa quoque institutio capacitati et fini instituendi accommodanda est.

Nosse debet, *ex plurimis doctrinis optimas seligendas et inculcandas*; uti jam olim sapienter monuit Plutarcus, dicens: Ut plures urbes præternavigasse pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam; ita quam plurima sunt cognoscenda, sequenda, retinendaque optima. PLUTARC. in *Moral.*

Nosse debet, *non mox cessandum a cultura, si fructum non sequi advertat*, sed potius agriculturalum exemplum ob oculos habeat, de quibus S. Jacobus dixit: Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. JAC. v, 7.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Via vitæ, custodiendi disciplinam; qui autem increpationes reliquit, errat » PROV. XIII, 17, potest ostendi, quomodo parentes liberos suos recte educare, triplicemque vitam dare debeant. 1. *Naturalem*; ita ut eandem etiam per convenientem necessarium subministratiorem conservent. 2. *Civilem*; ut bonis artibus et moribus imbuant. 3. *Spiritualem*; ut declinare a malo, et bonum facere, reliquaque boni Christiani officia recte prestare discant. Quæ omnia ex hactenus dictis facile fusius explicari possunt. Videri etiam potest Faber, conc. 8. in *Dom.* 20, post *Pent.* n. 4.

Ex occasione thematis: « Uni dedit quinque talenta, » MATH. XXV, 15, potest ostendere concionator, quomodo parentes Nicolai esse debeant, et quinque dona offerre, per quæ officia ad bonam educationem necessaria indicentur. Et 1. quidem *Imaginem*, quæ SS. Trinitatem et Sanctos representet; ex qua meminerint, primam illorum curam esse debere, ut debi-

tum Deo et Sanctis cultum præstare discant. 2. *Librum*; id est, ut in variis artibus eorum ingenio competentibus eos instruant. 3. *Vestem novam*; id est, ut decentem morum urbanitatem illis ingenerent. 4. *Poma, pyra, nuces*; id est, ut etiam necessaria ad vitæ sustentationem, et honestam recreationem liberaliter suppeditent. 5. *Virgam in apice aureas rosas continentem*; id est, ut suo tempore etiam moderatam correctionem non omittant, utpote aureas rosas, seu multiplicem fructum paritaram. Quæ omnia fusius deducta apud Fabrum, conc. 4. in *Festo S. Nicolai* deduci possunt.

Ex oca-ione thematis: « Omnis arbor bona bonos fructus facit, » MATH. VII, 17, potest ostendi, quomodo quisvis homo sit arbor, atque adeo parentes liberos suos velut teneras arbusculas considerare, et educare debeant. 1. Quidem curando, ut *bonam radicem sortiatur*, id est, timorem Domini, qui non tantum sapientiæ initium, sed omnium etiam aliarum actionum humanarum fundamentum esse debet. 2. *Stipiti alligando*; id est, committendo eos bono et rectitudinis amanti Instructori, a quo et ipsi rectitudinem in moribus et disciplinis hauriant. 3. *Sepe circumdando*; id est, arcendo malos socios, qui velut bestiae vivunt, et ejusmodi arbusculis valde insidiantur. 4. *Frequenter irrigando*; id est, necessaria media ad vivendum et discendum suppeditando. 5. *Inutiles ramos prascindendo*, per correctionem discretam suo tempore adhibitam. 6. *Commendando illos Sanctis et Deo*, uti olim arbores in tutelam variorum deorum erant commendate ab Ethnicis.

Ex occasione thematis: « In qua urna aurea habens Manna, et virga Aaron, quæ fronderat, tabula testamenti; » Hebr. VII, 4, potest dici, quod liberi sint velut tabernaculum, in quo Deus multo libentius, quam in Veteris Testamenti tabernaculo, seu ara habitat, atque adeo hæc tria in illis ponenda. 1. *Tabula Testamenti*; id est, timor Dei, et legis Divinae observatio. 2. *Manna in aurea urna inclusum*; id est, liberalitas in rebus ad sustentationem et recreationem vitæ honestam necessariis offerendis, ex vera charitate profecta. 3. *Virga frondens*; id est, correctio discreta et fructuosa. Quæ paulo fusius apud Engelgr. in *Dom.* 6, post *Pascha*, § 4, explicata videri possunt.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS.—Peculiaris est camelorum instinctus naturalis, quod quando ex prolixo itinere sunt fatigati, immobiliter firmentur adeo ut neque per virgam, neque per baculos ad iter reassumendum moveri possunt; unde qui illos gubernant, cantu et symphonia uti solent, ut eos moveant. Ita quoque sepe reperiuntur filiorum nonnulli, indolis adeo nobilis et generose, ut ad virtutem non perminas, sed per benignitatem induantur, adeo ut rigor illos potius perversiores efficiat. MAJOLE, *Collat.* VII.

Sanctus Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, parentes illos, qui in sola virga confidentes, filios gubernant, his verbis alloquitur: Solis eos percussioibus ad mores bonos vultis efformare? Vidistis, inquam, aurificem ex lamina aurei vel argenti solis percussioibus imaginem speciosam formasse? Non puto. *Vita S. Anselm.* 21, *April.* apud *Suivum*.

Quis umquam crederet, struthionem parentes edocere, quomodo se filios amando gerere debeant? Ponit is ova sua in arenam, de cætero radiis solaribus illa committendo, ut ab illis animentur; num forte id ex impietate procedere existimatis? Minime gentium. Quando relinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? inquit Job Propheta. Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat; duratur ad filios suos, quasi non sint sui. JOB XXXIX, 14. Quod si struthio ad instar aliarum avium incubaret, ea quidem corporis sui calore foveret, pondere autem, et immensa corporis sui mole eadem dirumperet; ad hæc cum stomachum habeat adeo calidum, ut ferrum digerat, nimio calore suo partus suos disperderet: atque hinc est, quod id, quod secundum appareniam externam defectus pietatis et amoris censetur esse inopia, mera sit materna discretio et affectus. Eodem modo de nonnullis parentibus discurrere licet, qui prima facie nimis erga filios rigidi esse videntur, dum mortificationis virgam quoad illos semper manu versant, non permittendo illis cujusvis generis conversationes, vel adstringendo illos, ut continuo studiis sint applicati; non est hæc censenda nimia severitas, sed sinceri amoris puritas, et zelus

paternus, qui filii examinat instinctum et malas inclinationes, novitque noxiam illi futuram esse nimiam patris erga illos benignitatem. MANSI, disc. IX, n. 7.

ÆQUITAS. Si videres servum quemdam vilem, filium suum tenerum et innocentem magna cum barbarie et crudelitate cadentem et colaphizantem, quanta erga illum incenderis ira, indignatione et zelo, ut illatam filio injuriam vindicares? Irasceris, inquit, indignaris, et bellua ferocius in percutientis faciem insilis; Diabolus vero quotidie cernens filio colaphos infrangentem, demones, inquam, in scelera ipsum inducentes, dormis tamen, nec doles, neque adversaris, neque truculentissima bestie eripis filium? Et qualem tu experieris humanitatem? S. CHRYS. hom. 27.

NECESSITAS.—Quando prima omnium vitentium mater primum partum suum in lucem edidit, non sine mysterio notabilia hæc verba protulit: Possedi hominem per Deum. Etenim scire percuperem, quam inter filium quemdam et possessionem aliquam reperitur proportio. Nam Dent. 32, v. 6, dicitur: « Iste est pater tuus, qui possedit te. » Responsionis loco dici potest, quod sicut possessiones familiis subveniunt, easdemque sustentant, dum ex illis, quidquid ad victum et domus sustentationem pertinet, desumitur; eodem modo filii ad instar possessionum genitorum necessitates subvenire, adeoque possessionibus aequaliter tenentur. MANSI, disc. IX, n. 9.

Virga Moysis, quandiu illam manu sua portabat, miracula operabatur, flagellis Ægyptum cædebat, Regem obstinatum ad promittendam populi liberationem, obedientiam Deo præstandam, totum vastissimum Regnum in jugi circumdecebat timore; ast ubi in terram projecta fuit, in venenosum subito serpentem est transmutata. Hæc est virga perditionis. Deus enim patribus directionem et auctoritatem impertit exercendam in filios, hisque naturaliter genium indulis obedientiam et respectus erga patres, ita ut patres potestatem suam obtinerent ad reprehendendos, corrigendos et percutiendos filios, quoties necessitas fuerit, ut cordibus eorum timorem imprimant divinum, infundant scientias, alienent a vitiis, timoratos educeant et reverentes; ast ubi virgam discipline, neglecta educatione, in terram projecerint, subito in venenum tam patribus, quam illis convertitur, filiis accrescentibus

in contumacia, rebellione et petulantia. MANSI, disc. viii.

Mysterio quoque non caruit miraculum, quod Elias filium viduæ Sareptanæ in vitam revocando patravit. Nam ut sacer textus ait: « Dixit ad eam Elias: Da mihi filium tuum, tulitque eum de sinu ejus et portavit in conaculum, ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum, expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum. » Etenim hæc omnia in figura contingebant illis; puer enim hic mortuus peccatorem præfigurabat, peccati morte extinctum, qui a Christo resuscitandus erat; nam ut Rupertus Abbas ait: « Hic filius viduæ peccatorem significabat. At vero, inquit, si mortuus hic puer, et consequenter in statu innocentie positus erat, quomodo peccatorem præfigurare poterat? Scitisne, quid ad hoc responderi debeat? Nimirum sufficit scire, quod filius viduæ erat; hi enim etiam in ætate tenera ut plurimum vitiosi existunt, quia desunt illis debita reprehensiones et severitas correctionis, cujus matres communiter sunt expertes. Elias vero qui vir austerus et rigidus erat, qui que etiam capita coronata, id est, Reges acriter reprehendere non dubitabat, filium hunc e sinu matris suæ eripuit, et super durum lectulum suum repositum in vitam revocavit, quia, qui filios vult divinæ gratiæ vita gaudere, eosdem ferule et disciplinæ Religiosorum debet submittere. Atque hinc est, quod olim laudabilis illa consuetudo vigerit, qua filii in Monasteriis Religiosorum, et maxime Ordinis S. Benedicti educandi traderentur, vel, ut hodie fit, juvenus pro debita educatione Seminariis et Collegiis sub directione Patrum Societatis Jesu committatur. S. RUPERT. l. de Trin. c. viii.

Dubium non est, quin in magnam admirationem rapiat atrox illa poena, quæ filiis male educatis, qui Eliseum Prophetam deriserunt, irrogata fuit; siquidem divina justitia (de qua semper verum est: *Bene onæ fecit*) ita disposuit, ut omnes quadraginta duo pueri ab ursis dilacerarentur. Sed cur ab ursis potius, quam ab aliis feris crudelis hæc mors illis illata fuit? Pro resolutione sciendum est, hanc esse ursæ proprietatem, quod catulos suos, velut inforem quandam carnis massam, in lucem edat, quam postea velut embryonem lingua sua lambendo ad perfectam formam, per omnium membrorum suorum distinctionem

reducit; quæ de re S. Ambrosius ita scribit: Fertur informes utero partus edere, sed natos lingua fingere atque in speciem sui similitudinemque formare; quam usque proprietatem idem S. Doctor adversus genitores hunc in modum applicat, dicens: Non miraris in fera tam pii oris officia, cujus naturam pietas exprimit; ura igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituire similes tui non potes? Quod vero hæc in re nobis observandum venit, hoc est, quod videlicet ad catuli efformationem lingua, non pedibus, nec unguibus utatur; ad insinuandum parentibus, quod tametsi nunquam filios suos reprehendere debeant, id tamen faciendo nunquam mansuetudo et affectus paternus ab illis deponendus sit; utendum est lingua acriter illos increpando et reprehendendo, semper tamen cum suavitate aliqua illos lambendo. S. AMBR. l. 6 hexam. c. iv.

Pellicanus inter omnes alias aves pallos suos magnopere diligit, femella enim ovium incubans, mox ut exclusos pullos vivere conspiciat, præ nimia amoris tuleritudine illis amplexatur et stringit; at vero inter amplexus mortem illis conciliat, siquidem inadvertenter rostro illis colludens latera perforat; superveniens autem post triduum masculus, pullosque mortuos cernens, rostro sibi pectus vulnerat, suoque sanguine illos revivificat. Quot sunt, cheu! parentes, qui filios suos affectu quidem tenero, non tamen constanti, nec virtuoso, nec rationali diligendo (siquidem qui diligit filium, assiduit illi flagella) mortem illis non solum corporis, sed et animæ afferunt! Dissimulant illorum insolentias, quæ tandem sanitatem laediunt, et salutem æternam impediunt. MANSI, disc. ix, n. 6.

In lib. Regum matrem quandam suffocasse filium legitur. Scitisne, qua occasione id actum sit? Nimirum illum sibi semper præsentem etiam in lecto volebat. Quot sunt, qui nimia erga prolem tuleritudine seducti, vitam illi abbreviant! L. III. REG. c. III.

S. Thomas dicit, quod vitam a parentibus ad eum modum recipiamus, quo nobiles feudo aliquo a Rege suo investuntur; feudum autem nemo meretur conservare, qui feudatario suo infidelis est; ita quoque vita indignus est, qui vitam, quam a genitoribus suis accepit, in ipsorum ignominiam et contemptum abutitur; præterquam quod Deus, qui reverentiæ parentibus debite singula-

rem curam habet, eos quoque vita privet æterna. Consilium est Ecclesiastici: « In opere et sermone, et omni patientia honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat. » ECCL. III, 9.

Securissimum enim illi pignus habent, qui erga parentes obsequiosi sunt et reverentes, quod in hora mortis propitium habituri sint. Judicem, quod intelligi potest, ut inquit Paulus de Palatio, vel quod divinus favor et adjutorium usque ad finem vitæ duret, aut quod germanus est, quod divinus favor alique benedictio maneat, et servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet ad horam mortis et strictissimi examinis, ubi eternitatis jacitur alea. O quale, o quantum beneficium tunc erit, benedicti et audire: « Venite, Benedicti Patris mei! » Ergo, sicut tu in omni patientia sustinisti difficultates senis patris tui; ita Deus sustinebit in te omni patientia, si quæ fuerint errata infirmæ animæ tuæ, ut, quæ mensura mensus es patri tuo, remittatur tibi Pater misericors tuus. S. THOM. *opus.* II.

UTILITAS. — Oves quidem circa diluculum matutinum ovile libenter egredierentur, ut herbas depasceret rorulentas, utpote quæ instar mellis amabiles sunt et dulces, at vero prudens et providus pastor illas refinet et coeret, donec per solem ros exsiccetur, ne nimium pinguescant, probe sciens, pinguedinem illam eis fore damnosam. Idem quoque de filiis dicere possumus, quibus parentes multas recreationes, cæteroque honestas, prohibent, illos freno semper coerent, quia cum illorum propensionem probe sibi perspectam habeant, damnum, quod in illa tenera ætate in eos redundare posset, sollicitè prævident. MANSI, J. c. n. 8.

Athenienses dum olim oraculum suum interrogassent quidnam ad reddendum Republicæ statum felicem et prosperum utile ac necessarium esset, sequens ab eodem retulere responsum, scilicet, urbem fore beatam, si puerorum auribus, quod optimum et pretiosissimum est, appenderent. Quibus verbis monebantur, non tam ut gemmas vel inanes aureas puerorum auribus appendere, sed potius ut eos salutaribus monitis parentum faciles et morigeras aures præbere juberent. Unde David dicebat: « Deus auribus nostris audivimus, et patres nostri annuntiaverunt nobis. » Idem, disc. v, n. 3.

In illo sæculo, in quo Deus diluvium super

terram emisit, eo quod *omnis caro corruperat viam suam*, nullus in universo mundo a scelere purus fuit, præterquam solus Noe cum universa familia, quæ octo tantum personis constabat, quas Deus dumtaxat, veluti humani generis scintillas in vita reservare voluit, ne totaliter periret. Dicite, sodes, quenam Noe merita habuit, ut præ cunctis totius mundi hominibus privilegio adeo raro a Deo honoraretur? Audite sacrum textum id clare exponentem: « Noe, inquit, vir justus et perfectus in generationibus suis fuit, » id est, ut Cajetanus exponit, in filiis suis; quia enim magna sollicitudine filiorum suorum bonam educationem curavit, ideo singularissima hac prærogativa se dignum effecit: Fuit perfectus, inquit Cajetanus, non solum in se ipso, sed etiam in generationibus suis, servavit enim se, et filios suos sine defectu mortali; nam profecto justus esse non potest, qui filios ad virtutem non instruit, qui eos justos fieri non studet. Idem, disc. xxvii, n. 3.

MISCELLANEA.

QUALITAS. Socrates dicebat, ingenius et optime natis evenire, quod equis ferocibus et generosæ indolis, qui, si a primis annis insituantur, egregii, et ad omnem usum accomodi evadunt; sin minus, efferati, intractabiles, et ad nihilum utiles; eoque fit, ut felicissima quæque ingenia corrumpantur insectia instituentium, qui mox equos vertunt in asinos, quod erectis et liberis imperare nesciant. SOCR. *ap. Eras.* in *Apop.*

Lycurgus, ut ostenderet Lacedæmoniis, quantum in educatione positum sit, duos catulos eodem patre ac matre genitos educavit, et alterum domi lautissimi vesci passus est, alterum venatione exercuit; postea vero ambos in forum produxit, et spinis simul, escisque propositis leporem emisit, quem cum alter etiam per spinas invaderet, alter vero ad escas se converteret, subintulit Lycurgus, sic se rem cum educatione juvenutis habere, atque adeo si bello aptam esse velint, non delicias, sed laboribus exerceendam esse. PLUTARCH. in *Lacon.*

Aristippus quæsitus, quæ potissimum adolescentibus discenda forent? quæ viri usus futura sunt, respondit. LABERT. l. II, c. viii.

Crates optabat in editam civitatis speculam ascendere posse, et contenta voce cla-

mare : Quo ferimini, mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis; filiorum vero, quibus illas relinquatis, exiguum curam geritis? ENGELGR. in *Dom. vi. post Pasch.* § 1, ibid.

Joannis Gersonis mater, ut filium orationis assuefaceret, cum emendatæ aut tentaculi tempus instabat, eum in genua procumbere, atque a Deo nuce, castaneas, poma, et que optabat, postulare; quæ ipsa postea de superiori domus parte occulte deiciebat, ut e caelo data crederet filius.

NECESSITAS. Solon lege caverat, ne parens a filio subsidii aliquid expectaret, quem in adolescentia nulla arte instituit, aut institui curasset. PLUTARCH. in *Solon.*

Plato pronuntiavit, nullum ex reliquis animantibus atrocius fieri homine, atque effratius, nisi tempestivis disciplinæ auxiliis mitigetur. PLAT. I. VII. de *Log.*

UTILITAS. Educatio et disciplina virgæ Moysis similis est, de qua Cornelius a Lapide dixit : Virga est disciplina, correctio et castigatio, quæ initio pueris imperfectis horrida videtur, ut serpens; sed in fine, cum ejus fructum experientur, agnosunt esse virgam paternam ac pastoralem. CORN. in c. IV. *Ex.*

Nam, ut ait Apostolus, omnis disciplina in præsentem quidem videtur esse non gaudii, sed mororis, postea autem fructum peccatissimum exercitatis per eam reddit justitiæ. HEBR. XII. 11.

Recte pronuntiavit Seneca, debere homines viaticum senectutis litterarum eruditione parare, dicendo, ne defecerint insipienti animo : Litteras tamquam baculum infirmo corpori paratas esse, eundem finem esse discendi et videndi. SENECA. in *Prov. Ph.*

Quare, inquit idem, liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem disponunt. Idem, ep. I.

Educatio et disciplinamores facit, et illud sapit unusquisque, quod didicit. Hinc alibi dicebat idem Seneca, hanc educationem, maximam diligentiam, plurimumque profuturam requirere; facile enim esse, teneros adhuc animos componere; difficiliter autem recidi, quæ nobiscum creverunt.

AUCTORES.

Josephus Langius, in *Polythea* V. eodem, et V. *Disciplina*. Institutio.

Henricus Engelgrave, p. 2. *Luci Evangelicæ*, in *Dom. 6. post. Pascha.*

Mathias Faber conc. A. in *Festo S. Nicolai*. Philippus d'Outreman, in *Pedag. Christ.* p. A. c. VI, § 1 et 2.

Laurentius Beyrlinek. in *Theatro Vitæ hum. V.* eodem.

EVAGATIO MENTIS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. Est mobilitas et inconstantia animi sub oratione ad aliena objecta conversi. Quam piotum quidam apte oculis subiecit, dum Christum in cruce pendentem, et ante hunc duos homines flectentes pinxit, ita tamen, ut ex primi ore unica, eaque recta linea ad Christum dirigeretur, ex ore secundi vero variae lineæ in campos, domum, cellam vinariam, horreum, uxorem, liberos, et similia progredirentur. DREX. in *Rhet. cæl. I. I.* c. III, § 3.

DIVISIO. Dividitur plerumque in *Naturalem* et *Moralem*, seu *Inculpabilem* et *Culpabilem*; quarum prior non voluntarie admittitur, sed ex naturali mobilitate mentis exoritur; posterior vero cum deliberata voluntate committitur, ideoque merito culpabilis dicitur.

ACTUS. Primus est, nullam preparationem adhibere ad collectionem animi procurandam.

Secundus, ultra distractionum causas accersere, puta curioso aspectu, non necessario colloquio, actione aliqua impertinente, etc.

Tertius, distractiones exortas oscitantem reprimere ad morem illius famuli, qui jussu regis domino assidere, et muscas abigere, nictare oculis incipit, et modo flagellum tollit, muscasque abigit, modo iterum manus decidere mittit.

Quartus, nullo prorsus modo distractiones tales reprimere, sed voluntarie tædii levandi gratia iisdem immorari.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longo est a me. MATH. XV. 8. Nolite locum dare diabolo. EPH. IV. 27.

Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo : Deus enim in caelo, et tu super terram. ECCL. V. 5.

Estote autem prudentes, et vigilate in orationibus. I PET. IV. 7.

Cor meum dereliquit me; multiplicatae sunt super capillos capitis mei (distractiones). PS. XXX. 13.

DAMNUM. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. JER. XLVIII, 40.

Copit ejicere vendentes et ementes dicens illis : Quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum. LUC. XIX, 43.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. Notandum, quod nequaquam dicitur in libro Job, preces, sed, desiderium meum omnipotens audiat. Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. S. GREGORIUS, c. II. *Mor.* 18.

Nihil est in me corde meo fugacius, quod, quoties me deserit, et per cogitationes pravas deluit, toties Deum offendit. Cor meum, cor vanum, vagum et instabile, dum suo ducitur arbitrio, et divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili per innumera huc illic discurrit.

FUGA. Noli tristari, si, dum oras, subtilissime inimicus irrepit, animique intentionem claram ut fur averit; sed bono esto animo, dum semper lubricam revocas mentem; Angelus enim datum est, hujusmodi furibus non parere. S. CLM.

Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis secularis et carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et Sacerdos ante orationem, præfatione premissa, parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda*, ut, dum respondet plebs *Habemus ad Dominum*, admonetur, nihil se, quam Dominum, cogitare debere. S. CYR. I. de *Orat. Dom.*

Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur; obrepit enim frequenter et penetrat, subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, aliquid habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Ibid.

Invenire dixit (David) se cor suum quasi solerter ab eo fugere, et ille sequi quasi fugitivum, et non posse comprehendere, et clamare ad Dominum : Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque, fratres mei, quod hic ait : *Suavis es tu et mitis*, etc. Videor mihi videre ad hoc mitem dixisse Deum, quia patitur ista nostra, et expectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; et quando illi eam dederimus, accipit grate et exaudit, nec meminit tantas, quas incondite fundimus, et accipit unum, quam vix invenimus. S. AUGUS. in *Ps. LV.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

O quid intus patior, dum mente coelestia tracto, et mox carnalium turba occurrit cogitationum! Deus meus, ne elongeris a me, neque declines in ira a servo tuo. LIB. III. c. XLVIII. § 5.

Sic ego homo infelix mecum pugno, et factus sum mihi metipsum gravis, dum spiritus sursum, et caro quatit esse deorsum, Ibid.

Ignosce mihi, et misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo. Confiteor, etenim vere, quia valde distrahe me habere consuevi; nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo. Ibi sum, ubi cogitatio mea est; ibi autem frequenter est cogitatio mea, ubi est, quod amo. Ibid. § 5.

Beatus ille homo, qui propter te, Domine, omnibus creaturis licentiam abundi tribuit; qui naturæ vim facit, et concupiscentias carnis fervore spiritus crucifigit, ut serenata conscientia, puram tibi orationem offerat, dignisque sit Angelicis interesse choris, omnibus terrenis foris et intus exclusus. Ibid. § 6.

Scio, quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, et ab omni devoto exercitio, evacuarè. Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat et horrorem, ut ab oratione revocet, et sacra lectione. Non credas ei, neque eures illum, licet sapius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ibid. § 4.

Affectus ille bonus et dulcis, quem interdum sentis, effectus gratiæ presentis est et quidam prægustus Patriæ ælestis, super quo non nimium innitendum, quia vadit et